TAVRICA
CHERSONESVS.

TAurica Cherſoneſus, quam Præcop & Tartariam minorem hodie appellant, ampla peninſula, Inter Pontum Euxinum & Mæotim vſque ad Boſphorum Cimmerium, qui Europam ab Aſia diſcernit, porrigitur. Eam mediam horridi & ardui montes velut Apenninus Italiam in boream & auſtralem dirimunt. Auſtralem, cuius metropolis eſt Capha 63:38. 47:15. olim dicta Theodoſia, emporio celebris Mahometes anno 1475. occupauit, & ſibi tributariam fecit. In boreali vero parte Tartari, Crimæi vulgo appellati latiſſimos inter Boriſthenem & Tanaim campos, paſcuis ſubinde mutatis peruagantes, ſedem Regiam annos iam ferè quadringentos habuerunt oppidum Crimæum 63:18. 47:38. vnde & Crimæi Tartari appellati fuerunt. Hi poſtea perfoſſo Tauricæ ad inſulæ formam iſtmo, circa foſſam eam quam Præcop appellant, ciuitatem eiuſdem nominis & Regiam ſedem 62:12. 48:12. cum condidiſſent, Præcopenſes Tartari inde dicti ſunt. Horum Rex Turcis confœderatus & ſocius, cum proprios fratres (inſtigantibus Turcis) à quibus bello petebatur, ſubmouiſſet, & Capham obſidione premeret, à ſuis conſiliarijs ad hoc amplis muneribus corruptis, cum duobus filiolis in fruſtra conciſus, Ottomannicæ amicitiæ infœlix exemplum præbuit: Eo enim occiſo Tartari, qui hactenus liberi & indomiti, ex ſocijs & fratribus Ottomannorum facti ſunt ſerui & ad ſimilitudinem aliarum Turciarum prouinciarum non Regem, ſed Beglerbegum, id eſt, Vice Regem accipere coacti ſunt. Quale autem ſit Turcicum imperium, ne actum quod dicitur agamus, ex VValachiæ & Græciæ inſcriptionibus facile poteſt cognoſci, eo Lectorem breuitatis cauſa remittimus. Præter Caſan autem & Aſtrachan regna Tartarorum, qui agros colunt domosque inhabitant & nunc Moſco ſubijciuntur, præterque dictos Præcopenſes, ſunt & alij Tartari campeſtres, qui cateruatim in campis nullis finibus obſeruatis degunt & in hordas veluti in quaſdam prouincias, à quibus & cognominantur, diuiſi ſunt, de his ſuo loco, Aſiaticis videlicet tabulis, dicemus.

Medius meridianus 63. reliqui ad hunc inclinantur ratione 48. & 52. parallelorum.

GERARDUS MERCATOR *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* DUISBERG, 1595 THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS Octavo